



Disputatio medica inauguralis de phthisi

<https://hdl.handle.net/1874/342355>

44.

DISPUTATIO MEDICA
 NAUGURALIS,
 DE
P H T H I S I,
 QVAM,
 DIVINA FAVENTE GRATIA,
 Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. M. JOANNIS LUYTS,
 Philosophia Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
 Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,
 NEC NON
 Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque
 Facultatis MEDICÆ Decreto,
 PRO GRADU DOCTORATUS,
 Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
 rite consequendis,
 Eruditorum Examini subjicit
ARNOLDUS FRANCISCUS van BEEST, Ultraject.
 Ad diem 19. Januarii horis locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
 Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
 Typographi, clo lcc LXXXIX.

Clarissimis & Eruditissimis VIRIS,

D. CORNELIO van BEEST,
L.A.M. ac M.D. pratico experientissimo,
Parenti Charissimo, filiali amore & obse-
quio, summâque animi reverentiâ semper
prosequendo, venerando, colendo,

D. JOANNI MUNNICKS, M.D.
in celeberrimâ hâc Ultrajectinâ Acade-
miâ, Anatomes & Botanices Professori
Ordinario, pratico experientissimo,
Præceptori ac Promotori, Cognato
Dilectissimo, perpetuo cultu veneran-
do,

V T E T

Fratribus, ac consanguineis,

*Theses basce Inaugurales ex sincera
animi affectione*

Offert & dedicat

ARN. FRANCIS. van BEEST.

Auctor.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

P H T H I S I.

THEISIS I.



Σισης, quam latini *Tabem* appellant, vocabulum in genere pro omni totius corporis extenuatione & imminutione, quacunque de causa & occasione orta, accipitur, ita ut sub eâ comprehendatur non solum ea corporis extenuatio, quæ ab *Ulcere Pulmonis* provenit, sed & *ἀρρώφια* & *ματζευμάτων*.

II.

Licer *Phthisis* nomen generaliter omnem corporis consumptionem significet: proprio tamen & specialiter pro eâ corporis extenuatione usurpatur, quæ ab *Ulcere Pulmonis* proveniunt.

A 2

Phthisis

4 D I S P U T A T I O M E D I C A

I I I.

Phthisis ita describi poterit , ut sit totius corporis extenuatio
& macies ab ulcere pulmonis inducta , variisque symptomatibus
stipata ; que sunt febris lenta , tussis fere continua , spuitiones sub-
cruenta & purulenta &c.

I V.

Pars affecta , præter pulmonem , est totum corpus , tum
ratione ulceris pulmonis , tum ratione consumptionis totius
totius coproris.

V.

Causa hujus affectus proxima , est vasorum in pulmone
apertio , quocumque modo contingat , hinc sanguinis è vasis
effusio , ac in pus mutatio : enimvero si sanguis ibidem ex-
travasetur , oritur Hæmoptysis seu sanguinis sputum , reliquus
autem sanguis per sputum non evacuatus , lateribusque vaso-
rum adhærens acrimoniam concipit , quæ sensim ulcus parit ,
totamque pulmonis substantiam labet inficit , corruptit &
exedit.

V I.

Causæ autem procatarrhicas variæ assignari possunt : 1. Pleu-
ritis , peripneumonia , empijema , & Hæmoptysis seu sanguini-
s sputum , qui omnes morbi , nisi cito , & rite currentur ,
ut plurimum in tabem transmutantur . 2. Catarrhi humores-
que falsi , & acres , qui suâ acrimoniâ & falsigine partes ad
quas feruntur , exedunt , ac exulcerant , ex quâ exulceratio-
ne Phthisis . 3. Vitiosa pulmonis constitutio à parentibus con-
genita.

genita. 4. Ex contagio, ita ut videamus ut plurimum uxores maritis Phthisicis assiduo inservientes, eodem affectu corripi, & vice versa. Inter consanguineos enim facilius: ut tutum non sit, fratribus aut sororibus fratris aut sororis Phthisi laborantis, cubiculum ingredi: si quidem *μάστιγα* illa quæ à Phthisicorum pulmonibus exhalant, & cubiculi totius aërem inficiunt, ab iis (præcipue dispositionem aliquam adhunc morbu habentibus) in pulmonem attracta, similem in eo dispositionem generant. 5. Aër frigidus &c. quod Hippocrates insinuare videtur Aphorism. xxiv. Sect. v. ubi inquit, *frigida veluti nix & glacies pectori inimica, tusses movent, venarum ruptiones & desillationes efficiunt.* 6. Vulnus pulmonibus inflictum. 7. Ictus casusque ex alto, nimia vociferatio & clamor &c.

V I I.

Brevi causarum expositione traditâ ad signa diagnostica me accingo; signa autem diagnostica sunt febris lenta & continua hectica, quæ una duabusve post assumpta aiumenta horis exacerbatur, tussis frequens & molesta cum sceratione primo cruentâ, deinde purulentâ.

V I I I.

Quoad Signa Prognostica: Phthisis incipiens morbus est periculosus, confirmata vero nunquam curatur, propter ulcus pulmonis, & febrem, totiusque corporis consumptionem, ulcerâ enim pulmonis non facile curantur, quia pulmones, propter continuam respirationem & tussim sunt in continuo motu, sed ad ulceris curationem quiete opus est, quibus accedit, quod medicamenta integris viribus tanto intervallo ad pulmones non perveniunt, Item febris adjuncta cum macie totius corporis reddit ulceris curationem difficulterem, quia hæc febris & ulcus contraria poscent remedia, calida febrem augent, frigida spiratum.

DISPUTATIO MEDICA

tum impediunt, sicca febri hectice nocent, humida ulceri obsunt, & consequenter dum uni occurimus alterum negligimus. Phthisis hereditaria ut plurimum est lethalis. Signa autem prognostica mala sunt, febris gravior & graviora symptomata, virium debilitas, sputum graveolens & capillorum defluvium, de quo Hipp. Aphor. xi. Sect. v. qui tare infestantur, si sputum quod extussunt olet graviter carbonibus injectum & capilli deflunt, letale. Significat enim ulcus nimis esse sordidum, sanguinemque ut partium nutritioni inserviat, ineptum, quod ex capillorum defluvio manifestum est. Alio enim loco de Diarrhoea, Hipp. Aphorif. xii. Sect. v., ubi ait: quibus per tabem capilli è capite deflunt, ii alvi profluvio superveniente moriuntur, Item Aphorif. xiv. Sect. v. si tare detento profluvio superveniant perniciosem; capillorum defluvium defectum boni nutrimenti significat, quando diarrhoea autem superveniat, vires magis & magis labefactantur, quas hic integras, quantum fieri potest, servare oportet; denique de puris retentione, quod antea exspiri solebat, non male Hipp. Aphorif. xvi. Sect. vii: insinuasse videtur v. g. à puris sputo Phthisis & fluxio, cum vero sputum fuerit retentum, moriuntur: tamdiu enim Galenus in comment. addit, Phthisici vivunt, quam diu extussire & per sputa pulmonem expurgare possunt, ubi vero intus ipsa remanent, respirationi obstruunt viam, & ægri suffocantur.

I X.

Curatio Phthisis. Primo quia Cacochymia in corpore redundans malum fovere & augere solet, blandis purgantibus auferenda est, per intervalla repetitis, eaque purgationes componantur ex Rhabarbaro, Manna, Cassia, Syrup. Ros. Sol., Conserva Rosarum Pallidarum, & omnibus constitutionem sanguinis acrem & saltam corrigentibus, & humores illos evacuantibus, abstinendo ab Aloëticis, Diagridiatis reliquisque acrioribus fortioribusque.

X. In

X.

In morbi initio & in corpore plethorico *Veneseltio* institui posuit.

X I.

Si morbus ab acri distillatione soveatur, tunc initio danda opera ut Catarrhus à Pulmonibus vel per *Foniculum* in brachio vel per setaceum in nuchâ avertatur, & fistatur.

X I I.

Ut Catarrhus fistatur, patiens Pilulam ex granis VI. vel VII. *Pilarum de Styrace* vel *Cynoglossa* vesperi capiat vel seq. trochisc. v. g.

R. *Boli Armeni* 3ij.

Pulv. Gummi Tragacanthi, *Arabici an.* 3ij.

Seminis Papaveris albi 3j.

Nucis moschatae Tofte 3j.

Sacchari Candi 3ij.

Fiat ex his omnibus Pulvis, ex eoque cum mucilagine Tragacanthi Massa ex quâ formentur Trochisci. Vel Saccharum Althea cum Opio continuo sumat.

X I I I.

Quoad sudorifera: illa in morbi principio prosunt, ut materia acris & serosa è corpore evacuetur, & causa majoris ulceris impediatur, illa autem non sint vehementia, cum nimiam commotionem & effervescentiam in sanguine excitarent, sed optima sunt decocta ex Rad. *Salsaparille*, *Chine* cum liquiria & passulis que acrimoniam temperant. v. g. tale decoctum

R. *Ra-*

3 DISPUTATIO MEDICA

R. Radicum Salsaparilla 3ij.

Chine 3vj.

Rasurae ligni Guajaci 3j.

Coquantur simul in aq. communis lib. iv. ad mollitatem;
deinde in mortario contundantur & in eadem colatura ite-
rum coquantur, addendo

Radicum Symphii Majoris 3l.

Herbarum Capill. Veneris,

Botryos an. Mj.

Passularum Enucleatarum 3iij.

Liquiritiae Rasa 3ij.

Fiat colatura librarum trium.

ex tali decocto bis terve de die patiens lagiorem haustum
sumat.

X I V.

Si omnia illa præscripta non Juvent, deveniendum ad de-
tergentia, consolidantia, expectorantia & humorum acrimo-
niam temperantia, qualia sunt modo dicta, Liquirit. Raf.
Hord. Mund. Rad. Symphiti, Consolidae, Herb. Capill. Veneris,
Scabiosa, Veronica, Pyrola, Alchymilla, Hyssopus, Botrys, Tu-
filago, passul. Mund., Spec. Haly ad Tabem, Sacch. Rosar.
Conserv. Rosarum Rubrarum Rec. &c. ex quibus tale decoctum
detergens. v. g.

R. Radicum Consolidae Majoris 3ij.

Aristolochiae Rotunda 3vj.

Herbarum Bugulae Mj.

Hyssopi, Sanicula,

Florum Papaveris Rheados an. Mj.

Passularum Enucleatarum 3iij.

Liquiritiae Rasa 3vj.

Coq. in Aq. communi ad 3xxx.

XV. Se-

X V.

Sequens conditum; paratu facilius, eximias habet vires in Phthisi. v. g.

R. Conservæ Rosarum Rubrarum 3ij.

Speciei Halii ad Tabem 3ij.

Florum Sulphuris 3*fl.*

Syrapi de Symphito Fernelii q. s.

Misce fiat Conditum, de quo patiens ter vel quater de die particulam sumat & haustum præscripti decocti superbibat.

X V I.

Si tussis valde urgeat ea linienda est Syrup. de Symphito, de Praesso, Capill. Veneris &c. talis linctus præscribatur,

R. Syrupi de Symphito Fernelii

Altheæ Fernelii an. 3*fl.*

Papaveris Albi 3ij.

Misceantur pro Linctu.

vel loco istius talis præscribatur mixtura. v. g.

R. Aquæ Hyssopi 3ij.

Fæniculi 3*fl.*

Tberiacalis Simplicis 3ij.

Antimonii Diaphoretici 3*fl.*

Syrupi Hyssopi 3vj.

Misceantur. Hæc mixtura cochleatim usurpetur.

X V I I.

In nimia consumptione, lac est exhibendum, quod omnes intentiones ad Phthisicorum curationem adimpleat, abstergit serosa suâ parte, conglutinat caseosâ, corpus reficit & nutrit Butyrosâ. Cum autem varia sint lactis genera, omnibus præ-

B ferent-

10 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

ferendum est lac muliebre , utpote naturæ nostræ magis familiare , utiliusque erit si ex ipso ubere sugatur , at quia multi eo lacte abhorrent , loco illius usitatus est Asinum. Deinceps huic succedit Caprillum , Ovillum , Vaccinum. Asina Nutriatur Foliis plantaginis , Polygono , Alchymilla , Pyrola , hordeo &c. Lac recentissime multum & adhuc calens hauriatur. Assumatur primum in parvâ quantitate ad 3ij. ut ventriculus illi assuescat , quantitatem illius sensim augendo usque ad 3vij. x. Jejuno ventriculo , ne vero acrescat , aut coaguletur in ventriculo , utque pulmoni magis fiat amicum , Saccharum Rosaceum ei permisceatur eâ proportione , ut ad lactis 3vij. Sit Sacchari 3j. non prandeat , donec lac bene coctum à ventriculo secesserit , & æger fame provocetur ad cibum. Ut lac commode usurpari possit , non debet adesse magna Febris , aut dolor capititis , aut Hypochondriorum tumor. De illis Hipp. Aphoril. 64. Sect. v. loquitur : *lac prebere capite dolentibus , Febriculosis & quibus Hypochondria elata aut murmurantia , & scirulosis malum , malum item quibus biliosæ dejectiones , Febres acutes & copiosa sanguinis evacuatio facta est , convenit autem tabidis non admodum valde Febricitibus , & Febribus longis & languidis , dum nullum ex supra dictis signis ad sit , & preter rationem extenuatis.*

X V I I I.

In diæta aër sit temperatus , exhibeantur cibi facilis coctionis & boni succi & multum nutrientes ex Jusculis carnium , ut sunt Gallinæ , Vituli , cum conservat Rosarum , Passulis , hordeo mundato , aliisque similibus præparatis , & pultes ex Oryza vel hordeo mundato. Potus omnis dulcis & bene fermentatus , minime fumosus. Si alvus durior sit , laxetur Manna & ut ad Thesin ix. Si alvus sit nimis liquidior , fistatur conserva Rosarum Rubrarum , Cydoneis cond. &c.

C O-



COROLLARIA.

I.

Multi moriuntur in principio , pluri-
rimi in augmento , sed in decli-
natione morbi homo nunquam mori-
tur ; nisi culpâ medentis , vel pa-
tientis.

II.

*Nullus morbus respectu Medicina est in-
curabilis.*

III.

*An ex urina videri posſit , ſitne ea viri an
mulieris ? Resp. negative.*

IV. Cer-

I V.

Certum tempus Chylificationis determinari non potest.

GOROIA V.

*Non licet sanitatis causâ semel in mense
inebriari.*

V I.

Vena§io non est periculosa in gravidis.



LA. Cen-